



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Canonicorvm Regvlarivm Ordinis S. Avgvstini Origines ac  
Progressus, Per Italiam, Hispaniam, Galliam, Germaniam,  
Belgium, aliasque orbis Christiani prouincias**

**Le Mire, Aubert**

**Coloniae Agrippinae, 1614**

Capvt XXII. Diessense Monasterivm, in Bauaria.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11321**

## CAPUT XXI.

**CISONIENSIS ET FANOPINEN-**  
*sis, seu Falempinensis Abbatia in  
 Flandria.*

**C**ISONIENSE S. Calixti monasterium, anno 838. fundatum est à S. Euerardo Comite Cisoniensi. Est id situm tertio lapi-de ab Insulis, Flandriæ opido mercatura celeberrimo, quod alteram, siue minorem Antwerpiam nonnulli hodie nuncupant. De Sancti Calixti reliquijs huc translatis, vide Molanum in Natalibus Sanctorum Belgij, & infra cap.

Fanopinense S. Christophori monasterium apud Insulas Flandriæ urbem, pariter situm, ann. 1039. est excitatum.

Vtrunque porrò monasterium iam commemoratum fuit olim Congregationis Aro-siensis: de qua vide suprà cap. 10.

## CAPUT XXII.

**DIESSENSE MONASTERIVM,**  
*in Bavaria.*

**H**AUTO, alias Hanto, Comes de Andechs, Episc. Augustanus, maximus illius Episcopatus locupletator, & dotator, successit S. Simperto. Praefuit adhuc an. 840. sub Ludo-  
 uico Pio; habuitq; fratrē religiosissimā vitā,

F 4 Rathar-

Rathardum Canonicum, qui monasterij Sancti Georgij Martyris, nō procul à vico *Dießen*, vbi nunc est Ecclesia parochialis, auctor & fundator fuit: quod postea per Arnoldum Malum desolatum & destructum est. Ita Bruschius de Episcopis Augustanis scribens. Anno 1013. instaurata est S. Georgij Ecclesia per quemdam *Adelheimum*, & fratrem eius *Adalricum*.

Secunda fundatrix fuit *Kunigunda*, alias *Kunessa*, vxor Friderici Comitis Diessensis, secundi illius nominis, filia non Ottonis Comitis de Valeij (vt liber Dietrizzellensis per errorem habet,) sed Conradi Comitis Oningenensis, propè lacum Brigantinum & Richlite, quę fuit filia magni Ottonis Imperatoris I. Ista deuotissima matrona post mortem mariti, fundauit Ecclesiam S. Stephani, in qua posuit tres Canonicos Regulares; ibidemque defuncta est, & sepulta. Auentinus scribit in eius sepulchro suo æuo inuentum esse latrem coctum, cum inscriptione Latina: *Kungeundus peccatrix, huius loci fundatrix, istam construens aulam 11. Nonus Martij, anno 1020.* Anno 1124. Hartuicus Præpositus monasterij Sancti Georgij, cum consensu Hermanni, Episcopi Augustensis, vnā cum suo conuentu migravit ad Ecclesiam S. Stephani, propter maiorem commoditatem. Ibi Hartincus Præpositus obiit an. 1170. qui 46. annis laudabiliter præfuit.

Ter-

Tertia fundatio facta est anno 1132. iuxta Bullam Innocentij Secundi, per illustres Principes, Berchtoldum Comitem de Andechs, & Ottone Comitem de VVolfrathausen, vnà cum vxoribus Sophia & Lauritia, & liberis eorum, qui arcem suam Damasiam verterunt in monasterium, construentes ibi Ecclesiam in honorem B. Mariæ virginis, dotantes eam mobilibus & prædijs, nec non pluribus privilegijs, offerentes eam tutelæ B. Petri & sedis Apostolicæ, cui annuatim vnum aureum persoluerent.

Auentinus in Chronico ita ponit: *Arnolphi filij, Poppo, Berchtoldus I. Otto VVolfrathusius & Gebhardus: hi Damasiam in templum vertere.* Otto Episcopus Bambergensis hanc Ecclesiam multis quoque beneficijs & prædijs iuuit, videlicet Kircheim, Munsing, Pierdorf, Schmiechen & Prunnen Ecclesijs; qui obiit anno 1196. Sic ferè Hundius in Metropoli sua Salisburgensi,

## CAPVT XXIII.

ALBINIACVM ABBATIA IN TER-  
ritorio, & diœcesi Atrebatenſi.

**S**Kilianus Episcopus, regio sanguine in Hibernia procreatus, cum multarum virtutum decore polleret, à prouinciæ illius clero & populo ad Episcopatum est electus.

F. 5

Cui